



# DE SCOPIS CONGRESSUS SCIENTIFICI INTERNATIONALIS ANNI 2018 DE EFFECTIBUS CONTINUATIS, MUNDO AMBIENTI, SECURITATE (SUSTAINABILITY - ENVIRONMENT - SAFETY 2018)

**Bernhard SCHWAIGER**



**Sustainability - Environment - Safety '2018**

## PRAEFATIO

Inter res maxime lacescentes in campo naturae ambientis nostris diebus citemus et clima mutatum et biodiversitatem decrescentem et minas contra salutem ob pollutionem, ob abusum fontium naturalium nostrum, ob purgamenta nimia. Unio Europaea munera ista difficillima solvebat praescriptis novis de circumiectionum cura institutis. Bruxellenses insuper generibus laborum modernioribus atque technologiis recentibus lenioribus annuerunt.

Novae methodi in Europa excogitatae, quae mundo ambienti magis parcunt, oeconomiam nostram efficaciorum in certaminibus internationalibus reddunt. Numerus mercennariorum augebitur et sumptus pecuniae ad progressum socialem parandae minus prement. Immo oeconomia, rationarium, securitas, res externae ad cives societatemque directo referuntur. Omnia in possessione societatis originem habent in natura, omnia autem superflua ad naturam reveniunt sub specie purgamentorum. Bene disponere elementa fontesque naturae in fabricando, in commutando, in consumendo - ecce artes quas adhuc non bene callemus. Oeconomia aucta adhuc purgamenta multa efficit.

Variae sunt rationes in diversis terris, quomodo creetur aequilibrium inter singulorum egoismum autonomiamque et purgamenta ab omnibus amovenda. Capitalismo instrumenta nonnulla sunt, ut legibus mores et privatorum et societatum mutantur. Oeconomia non programmatica tamen haud satis efficit, ut difficultates et in providendis rebus et in sordibus amovendis tollantur. En problemata duo, ubi instituta publica magis perpetrent circumiacentium protegendorum causa.

Unionis Europaeae intentio manifestata est, ut homines materias primitivas melius tuerentur et reiecta minuerent - oeconomia crescente. Inde necesse fit, ut potius fontes renovabiles (cum effectibus continatis) adhibeantur, ut regyratio fiat, ut parsimonia regat. Ex illis nonnulla electa sunt in sic dictis "strategiis thematicis septem", quae aditum communem praebeant ad terram protegendam, ad marium regiones salvandas, ad insecticidiorum usum rationabilem, ad aërem minus inquinatum, ad urbanarum regionum amoenitatem, ad bonum fontium usum continuatum, ad sapientem materiarum rudium dispositionem, ad intertrimenta evitanda necnon ad retrimenta regyranda. Infirmittates a mundo ambienti concitatae remedia multa sumptuosa exigunt pro reconvalescentia, pro medicamentis, pro assurancementibus valetudinariis ita, ut efficacitas pervertatur. Consequuntur invaliditas praecox necnon homines plures mature rude donati. Sumptus provisionis bonae saepe dumtaxat minores essent! Videatur, ut sanitas in ergasteriis protegatur et minus pollutantur aër, aqua, catenae alimentariae (e.g. contra plumbum benzini vel chemica accumulatoriorum). Nihilominus crescunt infirmitates ob naturam ambientem laesam. Scientias nostras amplificare debemus de actionibus reciprocis complicatissimis inter materias nocivas et sanitatem humanam, quippe qui cotidie catenati simus ad effectus multos mixturam infestam creantes.



Omnes civitatis actiones aliquo modo ethicae sint, ne alii aliis noceant. Id validum est ubicumque in vitae civilis rebus. Id valet etiam in consuetudinibus unius societatis partis erga omnes, tam erga cives quam erga naturam, erga plantas bestiasque. Homo naturae inferens et natura abutens - anathema sit! Id inter principia ethica scientiarum de mundo ambienti numeretur, id praxis omnium civitatum sit. Solummodo ista ratione homines in natura ambienti sana, pura, intacta vitam degere poterunt.

Hae quaestiones urgent in rebus ad mundum ambientem protegendum pertinentibus. Simul maneat securitas in omnibus ambitibus oeconomicis, in institutis privatis publicisque, in terris provinciisque. Quaestionum tractatio condiciones efficiat, ut aperiantur visiones plures (e.g. quoad securitatem informatoriam, personarum protectionem, opium conservationem, civilia tuta, cibos et potus bonos) et fiant professiones novae (e.g. provisosores securitatis, inspectores securitatis, technici in operariorum salute defendenda). Ii homines nitantur ut tuta informatoria, administrativa, physica, prophylactica, urgentissima semper praesto sint. Peritia sua quoque auxiliabuntur ad solutionem ampliorem quaestionibus certis.

Maximi momenti est in fabricantibus, partientibus, vendentibus, consumentibus nomen domus effectricis una ex parte, alia ex parte signum identificatorium. Prodest identificationi mercium quarundam qualitatis inter similes merces. Praecepta diversa adjudicationem perlucidam signi identificatorii ad unam rem postulant. Identificatio necessaria esse dicitur, ut servetur confirmeturque perspicuitas et unica species datorum identificatorum. Id iuvat in mercatibus liberis, ut res bene acceptae statim cognoscantur, ut informationes de rebus facilius dentur et ita porro. Id moderatur emptioni rei desideratae imitationibus neglectis. Impetus ad certam notam fabricationis ex visu et vel ex animi commotione fit, quod haud raro speculum personae ipsius et experientiae propriae est. Hic cogitatio sic dicta symbolica una cum fabricatorum et servitorum signo magis magisque valet. In vita sociali notae fabricationis multum apud nos efficiunt, quae sine verbis nos dirigunt et attentionem nostram in vias exoptatas ferunt. Fiditur praesumptioni de insufficientia communicationis verbis expositae, propter consuetudines generales et mores hominum singulorum.

Fructuum identificatio ponderosa fit - non solum ad effectus augendos in industriae quaestuosae ambitibus apud praebitores unitos. Graves partes in identificationibus agunt quoque cautiones et oecologica circumiacentium protectio. Itaque nullum elementum antiquius fit in cursu automatizationis productoriae: non modo in decursu fabricatorio ipso respective in tabernis singulorum venditorum sed in omnibus momentis negotiatoriis (praecipue in mercibus mandandis, transportandis, deponendis, distribuendis, computandis).

Conventui scientifico internationali anni 2018 de effectibus continuatis, mundo ambienti, securitate (Sustainability - Environment - Safety 2018) in animo est informare auditoria doctorum, regiminis localis repraesentantes et administratores reipublicae. Experientiae et solutiones recentes in rationibus emolumenti cum effectibus continuatis, naturae ambientis, cautionum commutentur ostendanturque. Putatur symbolas congregatorum disputationem vivacem de actionibus novis et indagatoriis et practicis incitaturas esse.

## CONTACT ADDRESS

**Bernhard SCHWAIGER**

Radio F.R.E.I., Erfurt, Bundesrepublik Deutschland